

72

DISSERTATIO  
DE  
**HODIERNORVM  
EMPIRICORVM  
FRAVDIBVS**  
QVAM  
**CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSO-  
PHORVM ORDINIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBJICIVNT**

*P R A E S E S*

**M. JOHANNES FRIDERICVS  
BAVER**

Lipsiensis

ET

*R E S P O N D E N S*

**DANIEL GOTHOFREDVS SCHVLTZ**

Torgav. Med. Stud.


---

DIE XIV. AVGUSTI ANNO MDCCXX.

---

LIPSIÆ,  
LITTERIS SCHEDIANIS.





DE  
HODIERNORVM EMPIRICORVM  
FRAVDIBVS.

**N**ullo tempore minus consultum est eruditioni ac literis, quam cum hodie omnes, jure an injuria incertum, ad eruditii nomen & gloriam aspirare solent. Non parum fateor, in his rebus laudis inest, & laudabilis adeo in discendo est emulatio, atque ad famam nomenque consequendum contentio ut non immerito ista a quibusdam inter subsidia veræ eruditionis numerentur. Sed laudabilia quoque honesta & licita hanc ad rem media adhiberi debent. Quemadmodum vero solida & cum labore improbo copulata veritatis inquisitio unica propemodum est eruditii gloriam consequendi via, ita negari non potest, quod fraudes hodie & dolii in partem huius laudis venire consueverint: quibus nisi plerique

A 2

ut illius\*

4

*ut illius verba mea faciam ad sapientiam se pervenisse  
putassent, multi sine dubio eodem pervenissent. Fraudibus dolisque ad Medici quoque nomen salutarisque artis laudem aucupandam locum esse quotidiana docet experientia. Cum enim multi videant, quanta cum utilitate Medicum esse conjunctum sit, ut vero talem te praestes non parvo labore, cura, studioque opus esse, plerique spurious atque illegitimos ad Medici famam nomenque perveniendo modos arripiunt, solidam doctrinam alto supercilio despicientes. Nulli majores in hac re fraudes committunt, his, qui vulgo Empirici, circumforaneique appellari solent. Qui quartiles sint, quibusque adminiculis ad Medici laudem gloriampque obrepere soleant, opere pretium videtur in presenti accuratius paulo inquirere, ut hac quoque parte recentior Medicinæ historia illustretur: ubi tamen necessitate ita populante, venia mihi dabitur si libertate interdum meum de rebus interponendi judicium sum usurus. Quod ut bene mihi vertat DEum O.*

*M. precor.*



I. Quo



I.



Uo distinctior autem & dilucidior  
conceptus de Empiricis hodiernis  
fiat, primo omnium generali de-  
scriptione ostendam quodnam ho-  
minum genus ita appellari soleat.  
Scilicet Empiricus secundum vul-  
garem vocabuli acceptiōnēm eſt  
*homo in arte Medica peregrinus*,  
qui tamen larvam & nomen veri Medicis induit, cum re-  
ipsa artis ejus rudis sit & imperitus. Cum enim Medi-  
cum verum bonumque appellemus, qui artis seu scien-  
tiæ suæ rectis & accuratis fundamentis instructus, secun-  
dum ea caute & convenienter ægrotantium curationes  
instituit, experientia Empiricos plane contrario se ha-  
bere modo testatur: illi enim minime rectis & accura-  
tis fundamentis in arte Medica sunt instructi, adeoque  
haud quaquam caute ac convenienter curationes ægrot-  
antium instituunt. Nam vanis plerumque & illicitis

utuntur principiis, e. g. sympatheticis, magicis, & superstitionis. Et siquidem interdum summa cum laude desperatos morbos curarunt, hoc tamen non arti & peritiae sed potius fortunæ & casui tribuendum erit. Non omittenda mihi brevis & perspicua Empirici descriptio, quam celeberrimus Bohnius in libro de officio Medici nobis suppeditavit, appellat enim hoc nomine *Medicum quem vulgus per ruditatem suam pro Medico habet,*  
*& qui ignorans artem exercet.*

## II.

Duplex autem esthodiernorum Empiricorum genus. Nam qui curationes medicas accurate instituant, titulum tamen Medici docti & periti non affectant, in hunc censum minime referendi mihi videntur. Primum genus Empiricorum urbanum & domesticum, alterum circumforaneum & vagabundum appellare liceat. Sunt enim primo artis medicæ verorum principiorum rudes & imperiti, qui eam tamen in civitatibus oppidisque passim, atque ut ita dicam domi exercent, Doctoresque apud plebem audiunt, quamvis sèpenumero, pharmacopolis, barbitonibus & vetulis haud meliores existant, titulumque tam honorificum aut nunquam, aut per fraudes saltem, ab Academiis obtainuerint. Secundo in hunc idiotarum Medicorum numerum veniunt plerique illi, qui Medici & aliquando etiam Doctoris nomine hinc inde per terrarum orbem divagantur, & foras imprimis ac mercatus civitatum frequentant, ibique eruditionem suam

suam & merces medicas in publico omnium conspectu venum exponunt, magna verborum pompa peritiam & famam suam jactantes. Quorundam privilegia & diplomata sua referunt, quæ illi, eruditionis & singularis incurabilibus morbis usus, a principibus & magistratibus se adeptos esse clamant, omnem moventes lapidem, ut in infimæ imprimis plebeculæ favorem se insinuent. Quod postremum Empiricorum genus ex communi loquendi usu proprio apud eruditos nomine Empirici cohonestari solet, & in praesenti quoque præcipue a me considerabitur.

III.

Sed ut quod res est dicam, neutrum horum genus honesto Empiricorum nomine dignum videtur. Si enim paulo accuratius vocabuli hujus significationem & natales consideremus, statim apparebit, Empiricum dici a græco vocabulo *ἐμπειρία*, quod experientiam peritiamque denotat. Est proinde omnis ille Empiricus qui experientiam in exercenda faciendaque Medicina adhibet. Experientia vero quanti in arte Medica usus fit, apud omnes constare existimo. Essetque propterea hic proprius in illos invehendi locus, qui nomen experientissimi Medici cum ineptissimo hominum genere communicarunt.

IV.

Sed jam antiquis temporibus usu venit, ut postquam Empirici nomen peculiari Medicorum sectæ attributum

butum fuit, minus honorifice a cæteris Medicis adhibetur. Qualis vero apud Græcos & Latinos illa Medico-rum secta fuerit, ex historia Medica, quæ augmentum & decrementum studii hujus depingit, colligi potest. Ex qua perspicimus, quod Empiricorum secta circa Hippocratis, qui quatuor fere ante natum Christum seculis floruit, instituta fuerit, multosque post asseclas habuerit, quos quidem a reliquis Medicis, qui Rationales vocati sunt, nihil magis, quam diversa discendi docendique soli experientia innixa methodus distinxerit, unde etiam proprium suum nomen nacta sit, ad Philosophorum, qui tum florebant, imitationem, qui non solum ab autoribus suis v. c. Platonici, Pythagorei, sed etiam a diversa philosophandi ratione Dogmatici, Sceptici &c. nominati sunt.

## V.

Si antiquissimam historiam medicam evolvamus, perspicue observatur, quod, ante Hippocratem diversas & contrariantes sibi invicem voce & calamo sectas flourisse, minus probabile sit. Quilibet enim parta industria sua medicamentorum cognitione contentus, exercebat Medicinam secundum propriam cognitionem, iisque utebatur remediis, quæ antea probata & ad hanc vel illam affectionem apta ac idonea esse invenerat, ut fuisus ex Hippocrate de veteri Medicina licet cognosceret. Quod si tamen tunc temporis alias alium sequebatur, scholas tamen medicas nondum institutas fuisse, unde di-

de diversæ post sectæ ortæ sint, manifestum est. Primus qui certa præcepta discentibus præscripsérít, scholasque medicas instituerit, aliisque contrariatus fuerit, omnium scriptorum veterum judicio censetur Hippocrates. Hic ingenii judiciique plenus, neque sola experientia contentus, singularem arti medicae afflavit splendorem, omnemque adhibuit operam, ut medicamentorum antea confuse & minus accurate adhibitorum naturam & operationem demonstrare posset, nullisque præterea anini corporisque laboribus percipit, ut veram corporis imprimis humani cognitionem naturalem obtineret. Quamobrem plurima se cabat cadavera, nec quicquam omittebat, quod ad certa & scientifica arti medicae principia comparanda facere existimaret, sicut ex Corn. Celsō aliisque autoribus constat.

Hac ratione cum *Hippocrates*, & post eum *Dio-  
cles Carystius*, aliquie omnem fere Medicinam certa ra-  
tione explicare & exercere studerent, secta primum in  
Medicinam illata est. Quæ tunc demum in ore fuit  
hominum & peculiare nomen nacta est, cum no-  
vum Medicorum genus nasceretur, quod sectæ Hip-  
pocraticæ seu Dogmaticæ aperte contradiceret. Pri-  
mi apud veteres cum Hippocrate contendisse dicun-  
tur Empirici, qui Medici unice experientiam neces-  
sariam esse in arte Medica existimantes, Hippocrati-

in faciem resistebant, atque in Medicina excolenda potius ad experientiam, quam ratiocinationem, respi-ciendum esse contendebant.

## VII.

Plane itaque cum historiæ contextu conve-nit Cornelii Celsi relatio, qui in operis sui præfatione Serapionem Alexandrinum, Hippocrate juniores, pro parente Sectæ Empiricorum venditat, quem po-stea multi alii fecuti, ut cum citato autore loquar, non mediocres viri, ex ipsa professione sc Empiricos appellarunt. Celso vero contrarius videtur locus Plini in *Hist. nat. L. XXIX. C. I.* unde hanc Sectam in Sici-lia natales habuisse, & Aeronem ipsius fundatorem suis-se, vulgo existimatur. Sed cum Aeron ille Hippocra-te antiquior fuerit, ejusque ad Serapionem usque suc-cessio ignoretur, non est probabile sectam hanc ab eo esse institutam. Possimus quidem concedere, Aeronem quædam similia Empiricorum principiis, & Ratio-nali Medicinæ contraria, professum suisse, & hac occa-sione Serapioni ansam dedisse sectam novam consti-tuendi, improprie tamen, neque accurate hac ratio-ne sectæ inventor appellabitur. Nemo enim satis pro-barare poterit, Hippocratis tempore certas & diversas Medicinam docentium sectas suisse. Quinimo in hoc omnes conveniunt, Hippocratem primum suisse, qui certos habuerit discipulos, & Sectam in Medicina ef-formaverit.

## VIII.

VIII.

Quæ si ita se habent, quid impedit, quo minus statuamus, sectam Empiricorum in Græcia post Hippocratis tempora Serapione autore esse natam, ibique longum post tempus floruisse: Præter perspicua enim Celsi verba aperte hoc docet Galenus in libro, quem Isagogen inscripsit, asserens, quod eam ob causam Aeron pro autore Empiricorum habitus sit, ut eo melior autoritas huic sectæ conciliaretur eaque antiquior rationali videretur.

IX.

Secta hæc Empiricorum, cum propter reliquo-  
rum contentiones & calumnias non ita multos secta-  
tores apud Græcos, pauciores apud Latinos inveniret,  
jam diu extincta est, librisque etiam Empiricorum  
medicis deperditis nil nisi ex aliorum relatione de ea  
constat. Falluntur itaque qui hodiernos Empiricos  
in eorum locum successisse putant. Interim tamen  
negari nequit, quod reliquarum sectarum Médici, cum  
Empiricos quovis ignominia genere afficere studuis-  
sent, ut omnium eruditorum hominum invidiam i-  
p̄is conflarent, eos pro Idiotis, & in arte Medica pla-  
ne imperitis traduxerint, adeoque occasionem dede-  
rint, ut brevi post, per magnam vocabuli abusionem,  
quilibet artis medicae imperitus & Médici tamen no-  
men titulumque appetens, Empiricus vocaretur.

B 2

quo

quo tempore autem hodierni Empirici initium suum ceperint, querere haud convenit. Manifestum enim est, statim atque artes & disciplinæ inventæ & colicœptæ fuerint, ignavos & stupidos homines inventos esse, qui per fraudes & mendacia nomen sibi eruditorum hominum comparare studuerint. Quo utilior vero ars Medica fuit, eo minus mirari debemus, magno conatu multos ad hujus artis scientiam contendisse. Empirici itaque, seu Medici imperiti & fraudulenti statim cum ipsa arte salutari extiterunt.

## X.

Causa, quæ homines ad fraudes in arte Medica committendas impulit, antiquis fortassis temporibus non omnino mala fuit. Non dubito enim quin multi per gloriæ cupiditatem ad consequendum quavis ratione Medici nomen adducti fuerint. Sed neque assertere vereor plerosque hodie duas potissimum obres Empiricos fieri, alios ut fortunæ suæ consulant, atque exercitio Medicinæ panein lucentur, alios ut divitias cumulando avaritiaz & voluptati sua pabula præbeant. Ad quam postremam tamen classem videmus sæpe ingenio & doctrina aliquique facultatibus, quæ bonum Medicum ornent ac deceant, satis instructos accedere, otio tamen & affectibus suis nimium sæpe indulgentes. In priori ordine plerumque deprehendimus inutilia terra pondera, hominesque non magis ad artes & disciplinas tractandas, quam ad publica munera cum dignitate

gnitate obeunda idoneos. Hinc meliorum artium & scientiarum rades, a scholis in Academiis frequentandis stupore & ignavia sua retentos, ad castra & arma per timiditatem ineptos, ambitione vero sua ne viictum mendicando querant prohibitos, magno numero Circumforaneorum gregi se adjungere videas, de quibus vere dicere queas, quod desperatio faciat medicos.

XI.

Sed tempus jam est, ut ad fraudum, quas Empirici ut pro Medicis habeantur solent committere, examen accedamus. Quod dum instituimus, non solum per praxim eorum Medicam, sed vivendi quoque rationem spaciabimur. Universa enim eorum vita ad fraudem imperitis faciendam comparata est. Empirici igitur quam primum in aliquam civitatem aut oppidum veniunt, ut omnes ac singuli incolæ de eorum adventu certiores fiant, substituunt sapissime varios homines, qui pecunia, aut aliis promissis inducti, hinc & inde peritiam eorum in arte medica laudibus evèhunt, simulque quanti in re medica virisint, quamque soli ad morbos quoescunque chronicos & desperatos curandos idonei sint, divulgant. Ne tamen uniforitan alterius ignotum maneat, typorum utuntur opera, chartasque patentes curant dispergi, quibus eruditioñem suam amplissimis depingunt verbis, eademque singulis oblata, in omnium notitiam pervenire student.

B 3

XII.

## XII.

Quod si deinde Empiricus noster ab ægrotis aliisque consulatur, domum vocetur, aliumque dicendi locum inveniat, statim eloquentia utendi occasionem arripit, eruditionem suam extollit, ad eamque se per itinera sua imprimis longinqua & periculosa pervenisse docet, quorum porro singularem utilitatem jactat, non secus ac si unice ad Medicum eruditum pervagatio totius orbis requiratur, & quæ sunt harum ineptiarum alia. Quod vero præcipuum est, celeberrimis sæpe Medicis omnem laudem honoremque denegat, corumque studia solidissima pro nihilo reputat, palam asserens, principia praxesque hodiernorum Medicorum vulgares esse & nequaquam justi ponderis. E contrario gloriose de se loquendo, sua principia plane infallibilia esse contendit, studiisque suis ad summam perfectionis apicem perductis plane nihil addi posse. Hoc vero pacto Empirici jaestatione sua aliorumque vituperio vulgum in suam sententiam traducunt, efficiuntque, ut ille præ veris religiosis sæpe Medicis larvis istis Medicorum primas deferat, reliquos etiam non raro ex illorum præscripto reprehendere incipiat.

## XIII.

Porro ut omnes de Empiricorum singulari peritia certiores fiant, silentio non prætereunt excellenti-

tissimum arcanorum & medicamentorum a se inventorum effectum, quæ tandem singularibus laboribus & expensis adhibitis, ad summum perfectionis gradum excoluerint. Qua occasione mendaciis s<sup>e</sup>pe suis maxime vulgaria & inutilia tanquam universalia & ad omnis generis morbos expellendos pertinentia extollunt, ut jurares a DEO immediaite ipsis esse tradita, Quis vero judicio recto prædictus Medicus panaceas, seu medicamenta universalia, & ad omnes tollendas affectiones idonea, exhibeat? quorum iactatio, si verum profiteri licet, solum mihi consistere in ingeniosa persuasione videtur. Quoniam tamen ex his arcanis singularem celebritatem & autoritatem sibi promittunt Empirici, eo libentius ad ea exhibenda solent confugere. Neque opinione hac falluntur. Hoc pacto enim ignorantiam suam circa medicinum operationem in corpore humano, eorundemque virtutem, optime celare possunt, quæ alias ab omnibus facillime conspiceretur.

XIV.

Præter arcanorum iactationem Empirici, ex aliis quoque rebus querunt gloriam, quæ plane ad Medicum stricte sic dictum non pertinent. Paucos enim inveniri credo, qui non arroganter in hac vel illa operatione chirurgica artifia sua venditare & melle dulcioribus verbis commendare solent. Sic ambitiose se solos expeditos pronunciant artifices in Cataract<sup>a</sup> depositio-

positione, Herniarum remotione, & affectibus similibus: quanquam quotidiana docet experientia, quod multi sint, qui ipsius quoque affect<sup>e</sup> partis structuram naturalem ignorent, ita ut magis enchiresi hanc in operatione felicitatem, quam eruditioni fundamentali adscribere debeamus. Quodsi etiam concedamus, nonnullos singulariter in operationibus supra memoratis exercitatos esse, itaque probe instructos, ut plane nihil inveniri possit, quod corrigi aut addi debeat, exinde tamen non sequitur, quoniam operationes suas feliciter exercent, eos etiam in morbis eujuscunque conditionis curandis excellere, quamvis ipsi hanc consequentiam demonstrare student.

## XV.

In ipsis curationibus s<sup>e</sup>pe impio illo modo circulatores utuntur, quo in collaudandis persuadendisque suis arcanis etiam Divini nominis Majestatem invocare solent, & horrendis conjurationibus pr<sup>a</sup>eter omnem conscientiam ægrotis vitam & sanitatem promittunt, quanquam non raro eventus contrarium demonstret. Et licet interdum medicamentum optatum pr<sup>a</sup>stasse effectum videatur, tamen ut plurimum aut bonitati naturæ, aut superstitione ægroti fiducia, illud tribuenidum est,

## XVI.

Quanta vero in curandis morbis utantur audacia, variis

variis exemplis & testimoniis confirmandum non est, cum quotidiana experientia pro me loquatur, & innumeræ observationes de eo nos certiores faciant. Aliquos enim videmus, qui nec morborum appellatio-nes, nec medicamentorum cognitionem tenent, & ta-men curationes in se suscipiunt, in iisque audacter se gerunt, neque exitum earum sæpius infelicissimum cu-rant. Interim tamen negari non potest, quod aliquan-do in uno altero casu hæc audacia, fortuna adjuvan-te, tantum proficiat, ut circumforaneorum peritia ma-gno cum applausu ab imperitis arripiatur. Quis ve-ro non insanus Medicus in gravioribus morbis, ubi vitæ periculum metuendum est, confidentius justo se gerat, aut fortunam tentet? quis non tutissimam se qui malit viam, ac curationem methodice & circum-specte instituere? Certa igitur Empiricorum nota est audacia.

XVII.

Quanquam autem hæc, de quibus jam dictum est, Empiricorum fraudes tales sunt, ut successus etiam aliquando felix consequatur, quoniam tamen multi etiam de vulgo inveniuntur, qui interdum non facile persuasionibus solis se submittunt, jure dubitantes, res, de quibus dictum est, applausu dignæ sint, nec ne, me-ritoque suspicantes, majora & solidiora eruditionis specimina a Medico expectanda esse, Empirici sentien-tes, se ipsis tantummodo mediis citra intentionem suam populi gratiam aucupari non posse, statim ad ea se con-vertunt, quæ ad sicut imprudentioribus faciendum aptiora esse putant. Itaque nova vel minus consveta-se uti medendi methodo asserunt, hisque suis extraor-dinariis,

C

dinariis,

dinariis, prout plebi persuadere cupiunt, curandi modis magnum saepe ejusdem concursum excitant. Videamus igitur omissis ambagibus, quæ ea sint, quibus Empirici vulgum ad sui admirationem pertrahunt & credulorum hominum oculis velum quasi obducunt, ut ea, quæ videre possent, non videant, eaque, quæ plane falsa aut altioris sunt indaginis, pro infallibili veritate assumant. Duplici modo illud consequi student, primo enim signa morborum in re minus certa, sed dubia & fallaci, quærunt, deinde praxin ipsam minus idoneo, sed ridiculo, turpi, & impio modo instituunt.

## XVIII.

Investigatio vero morborum ut plurimum in loci inspectione seu UROSCOPIA sita est, ad quam quasi ad sacram anchoram, & profundum veritatis oraculum se convertunt. Nobis enim persuadere contendunt, se omnes exinde hominum qualitates, conditiones, temperamenta, & sexum quoque, quasi ex speculo, praesagire posse. Præterea fingunt, se peritissimos esse, ad prognostica inde aut judicia reddenda de morbis instantibus & futuris, item, ægrotus liberari affectione mala queat, nec ne, & quæ sunt hujus generis alia. Quod vero recensita judicia & prognostica ex sola urinæ inspectione ferri & infallibiliter ponи possint, valde dubito. Si enim presupponamus saepe ratione coloris & pelluciditatis urinam in statu sano apparere virtuosam, & sic vicissim in variis morbis bonam & naturalem, quis quafso fidem huic inspectioni tantam tribuet?

## XIX.

Concludimus exinde, cognitionem hanc Empiricorum

corum & peritiam ut plurimum fraudibus & fallacis esse junctam, imprimis cum ea fere reserre soleant, quæ scitu plane impossibilia ab omnibus eruditis Medicis habentur. Succurrit mihi exemplum lepidum Empirici cuiusdam, qui antehac ordinarie nundinas Lipsienses frequentabat. Huic cum aliquando lotium ægrotantis ostenderetur, ut sententiam ac judicium suum de ratione morbi exponeret, valde ingeniose schedula quadam de morbi origine, causa, & symptomatibus conscripsa petitis ægroti pergraviter verberati ideoque Hæmoptysi laborantis, sequentem in modum satisfecit: scilicet se observare acervum majorum & minorum fustium in vitro urinario, indeque concludere, quod ægrotus miserrime verberatus fuerit eaque propter exquisitissimis crucietur doloribus & cruento fluxu vexetur. Quomodo autem, per DEum immortalem! lepidus ille homo rem istam tam accurate enarrare potuit, ni forsitan ab aliis, aut a vetula ipsa, quæ lotium apportabat, certior de verberibus esset factus? Quomodo certas figuræ in vitro urinario observare potuit, ni antea de iis admonitus fuisset? similem historiam non minus risu dignam annotavit *Bartbol. Hist. Cent. IV. bis. 79.* Ex quibus perspicuum sit, peritiam istam Empiricorum, quæ vulgus ut plurimum decipi solet, ut plurimum dolosam & fallacem esse.

XX.

Ne quis enim existimet, me plane urinæ inspectiōnem rejicere, paucis, quid de ea sentiam, explicabo. Negari non potest, certo respectu & in quibusdam morbis urinæ perlustrationem esse admittendam, quod varia

C 2

indi.

indicia ex eadem sapienter defumi possint. Nam v. c. in Febribus ex ea crisin, augmentum & decrementum caloris &c. annotamus. Porro ex consistentia, colore, odore &c. varios corporis affectus animadvertisimus, quemadmodum in Jctero, sanguinis scorbuto, calculo, aut exulceratione renum &c. urinæ discoloratio seu alteratio annotatur. Quanquam autem in recensitis morbis, & aliis ejusdem generis, urinæ examen quædam criteria suppeditat, doctiores tamen Medici in iisdem unice non subsistunt, atque experti, si quis huic excreto nimium confidat, sapissime deceptum iri profitentur. Id quod pluribus Petrus Torresius de incerto & fallaci urinarum judicio, Gotobredus Mæbius, Leonb. Fuchs inst. Med. & inter nostrates Excellentissimus Rivinus in Dissertatione de Medico superstitione satis docte deduxerunt.

## X XI.

Sed pergamus deinceps ad ipsas Empiricorum curationes spurias & incertas. Quæ quidem non raro consistunt in inutili & vano curarum sympatheticarum exercitio. Non pauci enim deprehenduntur, qui sola sympathia contenti, nulla alia medicamenta materialia ad tollendos morbos adhibent, sive externe in vulneribus, sive interne in omnis generis affectibus consistant. Non opus erit, ut Methodum describam, qua in phantasticis istis curationibus utuntur, cum illa fere omnibus aniculis & vetulis persimilis sit. Exemplum ejus occurrit in consolidatione vulnerum, ubi gladium, quo vulnus est inflictum, ligare, mundicare, omnibusque medicamentis stipticis & constringentibus madefacere solent. Similiter febrem intermittentem ridicule &

super-

superstitiose curari putamus, si nimirum sudor, aut alia tempore paroxysmi excreta, colligantur, eaque mane albescente die in undas clam ac circumspete projiciantur. De qua materia plura reperies in *Theatro sympathetico, Observat. Schenckii, Borelli, aliorumque.*

XXII.

Hac occasione non intactam relinquere possum morborum transplantationem, quæ Empiricis quoque quibusdam in usu esse solet. Ad hanc, si innumerabilia medicamenta frustra & sine sperato effectu applicata fuerint, se accingunt, eamque vario modo suscipiunt. Alii nempe morbum in animatum aliquod, ut hominem, plantas, arbores &c. alii in rem minus animatam v.g. cadaver, Saxum &c. singularibus adhibitis solennitatibus translocant. Sic in canes colicum dolorem, odontalgiam, podagram, & multos alias morbos transferri posse refert Bartholinus *Hist. Cent. VI. bis. 53. C. III. bis. 66.* interim tamen nescio quo jure & fundamento Medicus, siquidem ratione & judicio uti in curando debet, hisce uti posit inceptis, de quibus constat nullam veram certamque allegari posse rationem, & quarum, si quis ad avtopsiam provocet, effectus ut plurimum fortunam aut fiduciam ægroti singularem pro causa habet. Merito itaque hoc quoque curationis genus Empiricis solis relinquimus.

XXIII.

De curis denique superstitionis, illicitis & interdum diabolicis, quæ legitimis Medicis minime familiares, a circumforaneis saltem pro admirandis arcana venditantur, quædam monenda veniunt. Et quidem quod ad superstitiones curationes attinet, illæ ut plurimum consistunt

sistunt in usu Characterum, verborum, carminum &c.  
Exemplum notatu dignum *Borellus in Observat. C. I.*  
*Observat. 94.* refert de quodam, qui chartulam variis in-  
cognitis verbis & characteribus inscriptam pro cruois  
fluxu sistendo deglutiebat. Simili exemplo esse possunt  
innumera antifebrilia, ex quibus illud non ignotum est,  
quod sapientissime, si febres admodum sint contumaces, &  
omnes curationes respuant, in usum vocari solet, dum  
chartulæ verbum ABRACADABRA inscribitur, collo-  
que febricitantis alligatum febrem depellere dicitur.

## XXIV.

Nolo hic prolixior esse inquirendo cum *Baptista van Helmont*, qui tractatum *de magna virtute verborum ac rerum conscripsit*, curationes per verba sintne licita  
nec ne? item in justo ordine & absque superstitione ad-  
hibeantur, sintne admittenda? Nobis negatio harum  
quaestionum sufficiat, cum ut plurimum abusus verbi Di-  
vini, aut nominis Creatoris Omnipotentis intercedat.  
Posito enim, quod summa modestia & absque joco huic  
vel illi morbo jubeamus, ut in nomine Omnipotentis re-  
cedat, prout citatus *Helmontius pag. m. 759.* proponit, ni-  
hilominus tamen in ea versor opinione, hunc curandi  
modum plane voluntati Divinæ esse contrarium, & poti-  
tius inventum Cacodæmonis. Potestas enim, quam olim  
JESus Christus cum discipulis suis communicabat, neu-  
tiquam ad nostra tempora propagata, multoque minus  
nobis etiam concessa est.

## XXV.

De illicitis & satanicis, quas nonnulli Empiricorum  
in curando exercent, artibus, cum per diabolicum com-

mer-

merciuni mederi morbis ausi sunt, quotidiana tristis & calamitosa testatur experientia. Et quamvis nobis haec tenus non accurate cognitum sit, quomodo illi præstigiatores operationes suas instituant, an pacta, adorationes, execrationes, aut alia ipsis cum hoste humani generis intercedant, nihilominus tamen negari haud potest, quod cum diabolus singularem potestate a DEO concessam in eos, qui nulla pietatis ratione habita impie & ad voluntatem ipsius diaboli vivunt, habeat, ipse quoq; utpote in omnibus rebus physicis peritissimus, assecris suis quana celerrime subsidio venire possit. Quod si morbus aliquis iis videtur extraordinarius, & symptomata quædam apparent singularia, statim ægrum incantatum esse clamant, neminemque præter se solos ad sanitatem ei restituendam aptum videri volunt. Sentientes vero unum vel alterum suas ineptias approbare, statim illi Thessali ad ea se accingunt, ut incantationes aut exorcismis aut adorationibus & provocationibus Spirituum sane horrendis solvant, & quæ solennia sunt similia.

XXVI.

Exposui & examinavi haec tenus varias Empiricorum fraudes, quas in vita, & praxi imprimis Medica, ad consequendum veri Medici nomen solent committere: paucis nunc attingendus restat externus vitæ splendor, quo aliquos Empiricorum supra modum delectari videmus, partim ut propriæ voluptati inserviant, partim ut eo facilius autoritate sua plebem imperitam fallant. Hanc ob rem principum ac magnatum more multos secum ducent famulos, histriones, saltatores, Musicos, aliosque quorum comitatu Majestas quasi ipsis splendorque com-

pare-

paretur. Hos ut alant sibique utiles præstent, nacti in urbibus oppidisque pro pecunia curandi facultatem, quæ alioquin ignotis hominibus difficulter dari solet, quo facilius ab omnibus conspiciantur, editiora descendunt loca, exstructisque theatris, venum quasi se cum merce sua medica exponunt, eamque gravi voce magnoque clamore extollunt, ita ut non immrito a nostratis ~~καὶ ξό-~~  
~~χῖν~~ die March-Schreyer nominentur. Quod si vero nec clamor altus, nec per orationes solennes benevolentia captatio, nec species ipsius Empirici vestibus saepe babylonicas auro argenteo splendidissimis exornati adstan- tium oculos ad theatra queant convertere, tunc in medium ducitur omnis Empirici familia, scurræ, histriones, saltatores, funambuli, & alii, qui jucundis & ridiculis suis actionibus homines allicit, ipsisq; quantus eorum do- minus vir sit persuadeant. An dubitemus vero hunc præcipuum esse fraudis & vanitatis in Empiricis Characterem?

## XXVII.

Quærat vero aliquis, qui fiat, quod plerique per apertas Empiricorum fraudes decipientur, atq; ad aures, oculos, plausumque etiam ipsis præbendum adducantur. Responsio in promtu est, eademque ex ingenio & natura multititudinis plurimam partem in literis rudis rerumque imperiæ repetita. Plerique enim non ratione sed sensibus ducuntur, affectuumque suorum in omnibus vitae actionibus imperio obtemperant. Hinc fit, ut præ cæteris vitiis, nimia laborent credulitate, admiratione, & quæ sunt reliqua, contra quæ unicum in artibus & doctrinis præsidium positum est. Sed hæc dicta sufficere possunt agnoscendis vitandisque hodiernorum Empiricorum fraudibus, a quibus ut cautos salvosque omnes præstet, DEum precor.

FINIS.










00 A 6436

ULB Halle  
004 931 300

3



KD 18



ERTATIO  
DE  
RNORVM  
ICORVM  
VDIBVS  
QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSO-  
M ORDINIS  
DITORVM EXAMINI  
BJICIVNT  
Æ S E S  
ES FRIDERICVS  
AVER  
Lipsiensis  
ET  
PONDENS  
HOFREDVS SCHVLTZ  
gav. Med. Stud.  
VSTI ANNO MDCCXX.  
LIPSIAE,  
IS SCHEDIANIS.